

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXVI.

M. PETRO-JOSEPHO MORISOT DESLANDES, Doctore Medico, Præside.

An morborum, cessante mensium fluxu, Therapeia, quæ difficillima, rationali medicinâ duce, felicior?

I

FUNCTIONES mulieribus propriæ, & ipsa *muliebris natura*, totidem plerumque sunt morborum causæ. Corporis feminei compages, mollior quàm esse viris solet, fibra carnea laxior, nervea debilior, textus cellularis copiosior.

Feminæ, infantes & à morbo gravi convaleſcentes peculiarem conſtituunt claſſem, cujus character, debilitas: habent pulſum frequentiorem, faciliùs commoventur & convelluntur, ſubitaneas, quandoque ſtupendas patiuntur mutationes, & leviori de causâ, in morbum incidunt. Nam *infirmitas*, monente Celſo, *omnibus patet infirmitatibus*. Ægrotant inſuper puellæ, motu pubertatis primo, & nonnullæ, ſingulâ menſium periodo: ægrotant prægnantes, puerperæ, nutrices. At, nullo vitæ ſtadio, nullâ occaſione, morbis gravioribus & periculoſioris aleæ affligitur femineus ſexus, quàm eo tempore, quod vulgò, *Tems critique*, vocant. Accerſitus Medicus, quid faciat, incertus hæret; nunquam ferè morbus ſimplex venit curandus; morbum geminat aucta præter modum, tunc nervorum vis ſentiens; obviæ fiunt contra-indicationes, & anomaliæ, Clinico deteſtatæ. In omnibus feminarum morbis, ſive propriis, ſive cum virili ſexu communibus coctiones obſervantur difficiles: regulari enim, nec violento ſolidorum & fluidorum motu perficiuntur; hìc ferè perpetuò, abnormis & inconditus nervorum motus functiones omnes ſubvertit: Quæ ad conceptum, partum & lactationem ſunt dicata organa, diros atque difficillimos experiuntur morbos: uterus cum omnibus ferè corporis partibus conſentit, mammæ eminentet cum utero. His organis dolentibus, totum condolere corpus non mirum; dolent autem maximè, cùm purgationes menſtruæ feminis valedicunt. Quàm volupe foret earum miſeram adeò ſortem, ſub Medicinæ rationalis legibus, leniri poſſe!

I I.

MENSIUM finis, *malorum initium*. Fœminæ quidem morbis acutis, tunc rarò conflictantur. Aſt eis incumbit chronicarum affectionum cohors: hæmorrhoïdibus tumidis & dolentibus vexantur; flatus, convulſivè, ſursùm erumpentibus concutiuntur: tumet regio epigaſtrica: borborygmi, per totum inteſtini tractum murmurant: alvus conſtipatur: miſeras dirè exercent paſſio hyſterica & melancholia: quandoque lentâ & hecticâ febre tabeſcunt: aliæ ſpirandi difficultate, ad minimum motum, corripiuntur: occurrunt, quas hemicrania, bis, ter, quaterve, menſis ſpatio, immaniter torquet: nonnullas aurium tinnitus continuò moleſtat: in apoplexiam & paralyſin incurrunt quædam: non paucis ſuperveniunt hæmorrhagiæ uterinæ, enormes, pertinaces, inordinatè recurrentes, quas excipiunt cachexia, aqua intercus, aut uteri ulcus, cancer: alias videre eſt rheumatiſmo, articulorum dolore acerbiſſimo tentatas: non deficiunt exempla mulierum, quibus tibiæ, pedes enormiter intumeſcunt: cutem quibuſdam deturpant impetigines, herpetes, eryſipelas: tandem, nullâ aliâ ætate, mammarum atque uteri cancro æquè objiciuntur feminæ.

In magnarum urbium otio atque deliciis, paucæ his aut illis malis ſunt immunes; quod de noſtrâ urbe Pariſinâ imprimis verum eſt: ibi cumulantur cauſæ omnes, quibus plethora natales debet. Vaporum nubes urbi continuò ſuperincumbunt penſiles, quibus veluti balneo, immerguntur Pariſini incolæ: undè fibræ naſcitur laxitas, quæ ad plethoram concipiendam tantùm valet: plenioris nutrimenti cibo & potu onerantur menſæ: inerti otio torpent feminæ, nec earum corpora perſpirant. Quid? ſi hujus cauſæ accedat altera morborum fœcunda parens, nempè omnigenarum cupiditatum ludus inſolens, quo ita peſſumdatur nervorum

tonus, ut exlex & *immorigerus* omninò ſit. Tu ne quæſieris igitur, quare mulieres, Pariſiis, quieſcente menſtruo fluxu, tot pateant malis: dum vix unam aut alteram, in aëre campeſtri, & ruſticano more viventem, tunc ægrotare obſervaveris. Feminas à plethorâ vindicant parva menſa atque labor improbus, à morbis nerveis caſta morum ſimplicitas.

I I I.

QUÎ fit ut mulieres, felici prole fœcundæ, ſubitò, circà ætatis annum quadrageſimum quintum, in ſterilitatem naturalem incidant, ingens diſputandi argumentum. At Clinico ſatis eſt, mala, quibus, tunc temporis, obſidentur, ritè cognôſcere, cauſas evidentes diſquirere, & ad praxim certiorem, cauſarum cum effectibus nexum, quantùm fieri datur, conſpicari.

Quò homo origini ſuæ propior, eò pluribus vaſis fluido perviis donatur. Probant anatomicæ injectiones. Creſcit infans, creſcit puer, quia partes habent fluido intùs prementi magis obſequioſas. Stat juvenis, jam robuſtior factus, quia partes firmiores non ſe ampliùs explicari ſinunt. Nullâ aliâ ætate, vis vitæ fortior, uberior, profundi magis impatiens, organa ſecretoria & excretoria plus vigent, ſenſus omnes tum exquiſiti, cutis tandem æquè nitens. Labentibus annis, & poſito fervore juventæ, fit maturus homo, juvenem inter & ſenem medius hærens. Verùm, emenſo hujus temporis ſpatio, fieri incipit partium rigiditas, ſenii prænuncia, & principium: nam ſeneſcere eſt ſiccеſcere. Senium ergò morbus, qui feminis citiùs, viris tardiùs obrepit. Corporis partes, jam de ſuâ priſtinâ flexilitate, vi tonicæ junctâ, multùm amiſerunt: occaleſcentibus tenuiſſimorum vaſorum innumeris myriadibus, quibus ſecretionum & excretionum opus perfici co ſtat, minor erit humorum proventus functionibus variis famulantium: eorumdem minor quoque expectanda energia. An quòd ſpiritibus ſint minùs divites? veriſimillimum eſt. Prætereà, ſolitis jam excretionibus corpus defraudabitur; excernenda intùs retinebuntur; unde humores ſpiſſitudinem cum acredine contrahent: nam ſpiſſitudo, acrimoniæ comes individuus eſſe ſolet. Equidem, jam ſeneſcentes multa circumveniunt incommoda: de operioſiore alimentorum coctione, de ſomno breviori queruntur, oculi caligare, aures obſurdeſcere incipiunt, pedes ſunt minùs firmi, floridus perit decor, rugæ cutem aſperant, capilli defluunt, vel quos caput habet, cani ſunt, denique generandi vis minor, aut nulla. Clinica nos docuit obſervatio hominum pleroſque, ab ætatis ſuæ quadrageſimo-quinto, ad quinquageſimum-quintum, hæmorrhoidibus, arthrididi, nephritidi, lithiaſi, herpeti, ereſypelati, apoplexiæ & paralyſi obnoxios vivere. Fœminarum perindè eſt: ſed his alia ſubit, hacce vitæ periodo, ægritudinum cauſa, quâ nulla feracior. Ubi ſcilicet purpureum laticem, ſingulo menſe, per uterum fundere deſinunt, fit plethora vel generalis, vel particularis: ſanguis devius, quàquà verſum refluus obſtructiones producit, vaſorum dilatationes, oppletiones, ruptiones, anxietates, torpores, ſtupendas nervorum irritationes: nam pondus nervis impoſitum, ſi non maximum, pro ſtimulo eſt. Ex his verò fontibus, naturâ & facie diverſi innumeri pullulant morbi.

Felices, ter & ampliùs mulieres, quarum catamenia, ſenſim ſine ſenſu, menſe ſingulo, minuuntur, ſine hæmorrhagiâ, per unum aut alterum annum, antequam penitùs evaneſcunt: ſignum eſt optima eſſe uteri ſtamina, vaſis gradatim & æqua-

liter occalefcentibus: fenfus caloris fubitanei, cum levi fudore, identidem furfùm erumpentis, totum eis malum eft; & in omen fauftum vertere folent. Minùs funt fortunatæ mulieres plethoricæ, quarum menfes fubitò ceffant, fine ullâ noxâ apparente: fufpecta habere debent bona fua; verendum ne diù fofpites & incolumes maneant. Magis de vitâ periclitantur, quæ in menfium exitu, hæmorrhagias patiuntur; fi profufiores fuerint, & per menfes duraverint, metuenda cachexia, & à folutâ fanguinis diathefi, hydrops; fi autem, poftquam filuerunt, per menfes aliquot, denuò erumpant, incertis periodis, & folitò uberiores, ne vitiatus fit uterus timendum: alternantes illas hæmorrhagias fovent plerumque uteri obftructiones, varicofæ dilatationes, imò fungofæ vegetationes, quas polypos vocant. Mammarum & uteri obftructiones, præ cœteris omnibus funt reformidandæ: nervis copiofiffimis confita illa organa, fenfu donantur exquifitiffimo: Si inflammationem concipiunt, vix refolvitur; fi in fuppuratum abit, ex ulceris cavo ftillat materies, quæ puri blando prorsùs abfimilis, fummâ, quâ pollet acredine, exedit, non regenerat; fi verò à venis fuerit reforpta, atque fanguini transfufa, febrem hecticam accendit, nullâ arte, hacdudum cognitâ, extinguendam; cruciatus horrendos fedaffe unicum medentis folatium, unica laus. Plus moleftiæ afferunt, periculi minùs affectiones nerveæ. Mulieres quarum fanguinem inficit virus herpeticum, aut aliud quodvis, ut fibi caveant funt admonendæ; his, uterus, fingulis menfibus, emunctorii, cauterii vice, quodammodò fungebatur. Gratulari folent feminis, quæ tunc pinguefcunt: fed nonnullas apoplexiâ perculfas vidimus. Occurrunt, quibus fudores profufi manant, cum bonis earum rebus: at metus eft, ne cafu fortuito, aut perversâ medicatione, fupprimantur.

I V.

MEDICORUM aures undique circumfonant, fœminas, eâ ætate, cui *Tems critique* nomen eft, nullam faciendam effe medicinam, & conditionem earum, quæ remediis utuntur, multò pejorem fieri. Huic præjudicatæ opinioni anfam dediffe, infauftos plerofque curationum eventus verifimilimum eft. Solemnia duo in ufum veniunt remedia, venæ fectio & purgatio. Venam femper in brachio tundunt, ab utero revellendi causâ: verùm quis inficias ibit venæ fectionem in brachio inftitutam, non aliquandò fuiffe noxiam? Ad purgationem confugit, velut ad facram anchoram, imperitum vulgus: plenam à potione fumptâ purgante, fecutam effe catharfin lætantur; at purgationis poftridiè, rarius ipfo die, omnia recrudefcere mala fentiunt, imò quandoque graviora. Nonnulli aperientia fuadent remedia, ut obftructa referantur, optimo reipsâ confilio: attamen fub eorum ufu, non femel vidimus obftructiones in deteriorem abiiffe indolem. Balnea multis profunt, quibufdam periculofa; ex faciei rubore intenfo judicare eft fanguinem versùs caput, magno impetu derivari. Narcotica, in nerveis affectionibus adhibita medentis fæpè expectationem fallunt, turbas movent. Ab affumptis adftringentibus ftypticis, in profluvio uterino copiofiori, peffima fuccrefcere mala non rarum. In antifpafmodicorum ufu multi conquiefcunt; at, fi bonâ fide fuerint, fe vanâ fpe delufos effe fatebuntur. Præftans fanè auxilium, inuftum brachio cauterium; nonnullis tamen nihil aliud eft quàm malum novum priori additum.

Duram itaque Clinico incumbere provinciam non diffitendum, quoties ei morborum, hoc tempore, mulieribus supervenientium, cura demandatur. Rem verò altiùs contemplanti, sese offerunt causæ, quibus plerumque debentur inania Artificis conamina. Scilicet Medicastri mensium exitum unicè respicientes, promiscuè habent omnes status morbosos indè oriundos, licet, toto cœlo, differant : relationum doctrinæ, quâ tota stat Ars salutaris, penitùs ignari, ne cogitant quidem de considerandâ muliebri naturâ, de systematis nervosi, in fœminas portentoso, hâc occasione, dominio, de ætatis senilis effectibus, tandem de individuorum temperamento, plura, quàm vulgò creditur, complectente, & quod, in infinitum propè variat morbos. Sed vana quid proficiunt remedia, sine rationalis disciplinæ legibus? Si usquam valet, certe in medicinali arte vetus illud effatum : *Qui benè dividit, benè definit.* Et vero dum singula quæque ponderat Medicus, novum artis industriæ locum adspiscere juvat.

V.

1°. MALA, ex mensium quiete orta, levi operâ, sæpè prævertuntur; semel nata ægriùs sanantur, imo quandoque nullam recipiunt medelam. — In hoc censu recensendæ affectiones qaædam nerveæ, hæmorrhagiæ uterinæ contumaces, mammarum & uteri ulcus, cancer.

2°. Feminæ complures, quibus, per menses & annos, nulla indè mali labes contigit, tutas, sine medicinâ, non esse comperimus. — Tacitè, variis in partibus, infarctu nato, post duos tres-ve annos, inexpectati & truculenti erumpunt morbi.

3°. Mulieribus, quæ copiosum sanguinem, singulo mense profundere solebant, ter, aut quater, vena secunda, primo cessationis mensium anno, minùs, secundo & tertio adhuc minùs: venæ-sectionem, si necessaria fuerit, nullum aliud supplere valet remedium. — Fœminæ venæ-sectionem meliùs tolerant quàm viri; sanguine copiosiori turgent; ad mollitiem ac suavitatem mentis & corporis totæ fuerunt compositæ; huic sapienti Naturæ voto favet temperamentum sanguineum, quod sexui fœmineo proprium; Lutetiæ Parisiorum, fœminæ ferè omnes sunt plethoricæ.

4°. In uteri hæmorrhagiâ, missio sanguinis è brachio, citò citiùs instituenda; tardiùs nihil proficit. — Vasis, ex fluxu diuturniori, inducitur laxitas.

5°. Si, post duas, tres-ve sanguinis missiones, pergat hæmorrhagia, absente febre, ad alia confugiendum auxilia. — Signum est vitiatum, obstructum esse uterum; aut profluvium sic perennare, ex sanguinis solutâ crasi. In priori casu, juvant apetientia: in altero casu, vini antiscorbutici potu, non semel, hæmorrhagiam profligari observavimus.

6°. Si, ad prævertendum profluvii uterini reditum, tibi in animo sit, è brachio sanguinem mittere, cave ne mittatur, circà solitum menstruæ purgationis diem; medium, inter duas *Epochas*, tempus eligendum. — Neglectâ hac cautelâ, menses, ferè perpetuò cum hæmorrhagiâ, erupisse vidimus.

7°. In enormibus capitis doloribus, aut in anginâ inflammatoriâ, vitiato utero, hirudines temporibus & collo appositæ, multis solatio fuerunt & remedio. — Sanguinis ex utero profluvium, aut aliud hujus organi vitium, venam in pede tundere vetabat.

8°. In affectionibus nerveis, vena in brachio secta malum quandoque adauget: non unâ vice, præmissâ sanguinis è brachio missione, saphænam eodem die, secandam jussimus: nec fuit pænitendi locus, sano quidem utero. — Nonne sanguinem è saphænâ mittendum audacter jubent Practici celeberrimi, in morbis acutis, hac ætate, supervenientibus, aut in gravissimis capiti inflictis ictibus?

9°. In tibiarum & pedum intumescentiâ durâ & renitente, venæ-sectio nullum periculum involvit. — Tumor non est œdematosus; nam vix prementi digito cedit, pressionem nullatenùs servat, nec in lecto subsidet; aliundè urinæ ubertim fluunt.

10°. Medicamentum purgans, omnium usitatissimum, simul & nocentissimum: plethoræ non medetur: sanguinis ex utero profusiones revocat: melancholicis, hystericis & hæmorrhoïdariis, sæpè sæpiùs, venenum. — Catharctica medicamenta non purgant, nisi irritando. Porrò his omnibus, nervi intestinorum, sunt mobilissimi, & à qualicumque causâ irritante, in motus rapiuntur spasmodicos. Aliunde hæc spasmodica contractio sanguinis circulo obicem ponit; hinc ad inflammationem magna nascitur proclivitas. Probant dejectiones glutinosæ gallicè *glaires*, quæ status inflammatorii, saltem proximi, effectus & signa sunt. Ægrotantes ergò vanus illudit error dum sibi gratulantur, quòd ab epoto medicamento purgante, multa dejecerint cruda & glutinosa vermes aliquandò æmulantia.

11°. Catharticum non postulant flatus sursùm & deorsùm erumpentes, quoties nihil olent. — Merè sunt spasmodici motus, quibus aër in ventriculo, & tubo intestinali contentus, cùm impetu ac murmure, huc & illuc fertur, & foras protruditur.

12°. In morbis nerveis, carthartico tutius vomitorium — Hujus tamen usus altioris est indaginis. Nausea continua, quæ, à sumpto cibo sedatur, arguit materiam acrem in ventriculo nidulantem, & vomitu eliminandam: at si merè sit nervea, sine materie, periodicè recurrens, si de nauseâ queratur femina, cum oris amaritie, post iræ motum, aut aliam animi vehementem affectionem, vomitorium exitiosum. *

13°. Tunc tantùm purgandi locus est, quandò manifesta saburræ putridæ subsunt indicia. Ea signa sunt oris fœtor, amarities, jejuno ventriculo, diarrhæa, flatus fœtidissimi per anum emissi, putridæ colluviei non indubitata proles.

14°. Leniora sæpissimè eligenda purgantia; & ab eis incipiendum, si morbus validiora requirat: aloëtica cane pejus & angue fugienda. — Inter emmenagogua potentissima aloë meritò recensetur: non desunt exempla profluvii sanguinis ex utero instaurati, in effœtis mulieribus, post usum elixirii aloëtici *Trefinchelt*, dicti.

15°. Maximam, tunc, opem ferunt aperientia remedia; nec, sine noxâ, omittuntur, in omni ferè casu. — Pro variis circumstantiis seliguntur, martialia, amara, nitrosa, saponacea, quæ sola, vel inter se, vel cum aliis remediis mixta exhibentur.

16°. Ferrum, remedium aperiens, præstantissimum: in affectionibus nerveis, & in hæmorrhagiis uterinis, dilutum, tutius, in cacheticis & obesis mulieribus, exhibitum in substantiâ, perfectè divisum, efficacius. — Feminæ ferri usum meliùs perferunt quàm viri, ob innatam fibræ suæ laxitatem.

* *Nota.* A 30 annis & ampliùs, sequens vomitorium præscribere solemus. Reci. Radicis Ipecacuanhæ, gr. octodecim; Tartari stibiati, gr. unum; Confectionis de hyacintho, gr. triginta sex; Aquæ communis, uncias sex; Aquæ Naphæ & Syrupi Limonii, ana, drachmas sex. F. potio, quæ dividatur in duas partes æquales. Peractâ Emesi, alvum blandè subducit.

17°. Aquæ minerales, passionum chronicarum præsens remedium : Martiales cœteris aperientibus sunt anteponendæ. Acidulæ hæmorrhagiis uterinis sistendis plurimùm conferunt. Prosunt etiam in affectione nerveâ. Cum cautelâ tamen sunt præscribendæ, si principio, quod *Gaz* vocant, sint admodum divites. — Earum potu offenduntur & convelluntur feminæ, quarum systema nervosum mobilissimum.

18°. Aquæ Thermales neque biliosis, neque melancholicis proficiunt. — Obstructiones inflammant ; profusiones sanguinis copiosiores reddunt. Eas autem nocivas esse admonemur, quando alvum constipant, & somnum arcent. Reverâ minùs lædunt ; si interponantur diluentia ; aut si cum decocto vitulino dividente misceantur. Pro balneo Thermales, optimæ, dum simul, pro potu sumuntur acidulæ.

19°. Aperientia, sub formâ siccâ, cachecticis, & obesis sunt imperanda : diluta, magnâ aquæ copiâ, nocent. — In iis fibræ laxitas aquarum stagnationibus locum daret.

20°. Succorum è nasturtio & chærefolio expressorum usus familiaris : utinam æquè proficuus ! — Si crudi ingerantur, stomachum gravant. Aliundè principium volatile, quo turgent, per noctem ægrotantes exagitat : demùm ventrem siccant : attamen hydropicos juvant, salibus neutris, aut alcalicis fixis acuati.

21°. Antispasmodica, propriè dicta, suppetias ferunt, sed brevi evanidas ; sola exhibita, non sanant ; imò diù continuata flammam hecticam intendunt : aliis remediis consociata magnum levamen afferunt.

22°. Opiatica remedia mulieres quàm plurimas commovent : tumultum certiùs sedant, si antispasmodicis adjungantur. — Nonnullis, pro narcotico sunt, sola demulcentia, temperantia.

23°. Cautè mercandum cum adstringentibus stypticis, potissimùm si è regno minerali desumuntur : in enormibus uterinis profluviis tantummodò sunt usurpanda. — Errant, neque errore erudito, qui in ejus remedii usu, diù perseverant, contra pertinaces hæmorrhagias : si malum ab obstructo utero fovetur, stypticum saltem inutile ; sed quod pejus est, periculosissimum : nam sæpissimè convertitur morbus prior in ulcus immedicabile, & mulieres tabidæ pereunt.

24°. Balnea, maturè & assiduò adhibita, optimum & prophylacticum, & remedium, In passionibus nerveis, semi-cupia, imò pedi-luvia, si labes nulla uterum infecit, anteponenda : vota medentis implent, sine periculo. — Non paucas mulieres invenias, quæ balnea integra tolerare nequeunt. Demonstrant Physici aquæ pondus octingenties majus esse aëris pondere : corpus itaque, capite tenùs, aquâ immersum, multo majori pondere premitur, quàm ipsum caput ; hinc sanguinis, hanc partem versùs, facilis adscensus.

25°. Cauterio tempestivè inusto, diris plerumque occurritur malis. Attamen quoties illius oræ & confinia, non identidem tument, rubent, dolent, aut ad minùs pruriunt, inutile. In feminis quas infestat lues herpetica, aut alia quævis, statim atque prima apparent menstrua purgationis, brevi exituræ indicia, instituendum. — Herpeti non sunt feminæ æquè ac viri opportunæ, nisi sint temperamenti biliosi, quod rarum : in genere, uti jam diximus, sexûs feminei temperamentum est sanguineum. Ast, vigiliis, liquorum ardentium abusu, & animi pathematis, temperamentum ; quodammodò, mutari non infrequens : humores scilicet, perversâ vivendi ratione, eam contrahunt acredinem, quæ ad biliosum pertinet temperamentum.

In mari procelloso, & scopulis pleno, tutiùs navigat, qui vias sequendas, aut vitandas apprimè novit. Ne credas tamen singula hæc, quæ mox protulimus, esse perpetua. *Vix ulla præcepta perpetua recipit Ars salutaris* (a) Tota legibus, observatione fundatis, continetur nostra disciplina: verùm, in tantâ morborum, causarum, effectuum, locorum & temperamentorum varietate, varianda artificia; regulis universè positis, modum, quem ratio jubet, apponere Clinici officium.*

(a) Cels. Præfat.

Ergo morborum, cessante mensium fluxu, Therapeia, quæ difficillima, rationali medicinâ duce, felicior.

* *Nota.* Caveat tamen, ne deceptus specie recti, ab artis mente temerè recedat,

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Jacobus NOLLAN, *Chirurgiæ latino idiomate Professor.*

M. Josephus-Ignatius GUILLOTIN, *Scholarum Professor.*

M. Gaspardus COCHON-DU-PUY, *Regii Ordinis Eques, Regis Consiliarius, & in Arce maritimâ Rupifortensi Anatomes & Chirurgiæ Professor Regius.*

M. Benjaminus-Michael SOLIER DE LA ROMILLAIS, *Pharmaciæ Professor designatus.*

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU, *Serenissimi Condæi Principis Medicus ordinarius, necnon Regis apud Peditatum cùm gallicum, tùm extraneum, Consiliarius Medicus.*

M. Claudius-Carolus DEJEAN.

M. Claudius LAFISSE.

M. Franc.-Maria LE MOINE,

M. Franciscus-Felicitas COCHU.

Proponebat Parisiis, CLAUDIUS-BARTHOLOMÆUS-JOANNES LECLERC, Parisinus, in Supremo Senatu Patronus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1786.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, viâ dictâ *du Fouarre*, 1786.